Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1465
Quelle:
Copyright:

ſunt alibi. Sermone I. in illud: *Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Rom.* 13. ita ordiente: *Eccleſia facit hodie mencionem de aduentu criſti* &c.

IV. *fol.* 153. Opuſculum *de Sex Jugis*, ut alibi. Initium: *Ut ſimplices ſacerdotes zelo animarum ſuccenſi* &c.

V. *fol.* 155. p. 2. Enumeratio eorum, quae Regi in Clerum competunt. Initium: *Diſcipulus quidam venerabilis doctoris ewangelici* &c. Eodem ordine habetur et alias.

VI. *fol.* 157. absque inſcriptione Tractatus *de Eucharistia* relatus alibi, cujus initium: *Sentencia tractatus de Eukariſtia in compendio ſic habetur* &c. Adjunctum habet in praeſenti Exemplo Indicem; intercedit tamen

VII. *fol.* 207. p. 2. Diſſertatio in illud: *Mulierem fortem quis inueniet. Prov. ult.* Mulier illa Noſtro Eccleſia eſt, quam pro more ſuo reformari cupit. Inter alia: *Ego autem non conſentio, quaſi regnum Anglie uel alius chriſtianus laboret ad proximos hoſtiliter inuadendum, ſed iſtud affectuoſe appeto, quod omne regnum chriſtianiſmi in quo eccleſia eſt dotata, caritatiue incipiat a ſe ipſo, tollens a clero venenoſum dominium, quod contra legem dei clero proditorie eſt collatum* &c. To *venenoſum* monet, latere hic forſan Scriptum, cui *Baleus* titulum fecit: *De legibus et ueneno.*

CCCLXXXIX.

Codex maximam partem chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 229. 4. commode perſcriptus, et rubricis enotatus varia *Joh. Wicleſi* Opuſcula hoc ordine complectitur: I. Reſponſum ad Argumenta cujusdam Socii, quod incipit: *Quidam ſocius quem ſuppono eſſe emulum veritatis* &c. et indicatum eſt etiam alibi. Ad calcem: *Pexlitic repſonoſi Soibanni Giamtris arguadmetan cuſtudma liemu tiſuetari.* Lege: *Explicit reſponſio Johannis Magiſtri ad argumenta cuiusdam emuli ueritatis.* Atque in hunc modum nugax Librarius, fortaſſis ut Autorem tegeret, literarum μεταθεσιν in ſequentibus etiam Clauſulis adhibet, quod ſemel monuiſſe ſufficiat. 906

II. *fol.* 17. ut in calce: *De Satbane Solucione.* Init: *Quantum ad obiectum fratrum* &c. ut alibi.

III. *fol.* 19. *De fundacione Sectarum.* Init: *Motus ſum per quosdam veritatis amicos* &c. ut alibi. Ad calcem ſcriptum dicitur *Anno* MCCCCIX. Itaque et hic Codex Βιβλιοπυραν effugit, quam anno inſequente Archiepiſcopus *Prag.* incendit. In *Bohemia* enim exaratum fuiſſe, manifeſtum eſt.

IV. *fol.* 34. p. 2. *De quatuor Sectis nouellis.* Init: *Secundum tres uirtutes Theologicas* &c. ut alibi.

V. *fol.* 46. p. 2. *Reſponſio ad 44. queſtiones Monachales.* Init: *Quidam*